



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

2. Quàm necessarium sit religioso spiritualia habere exercitia ad spiritus purgationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

QVOD AD PVRGANDVM SPIRITVM
*religioso valdè est necessarium in spiritualibus
 exercitijs exerceri.*

CAPVT II.

FRatres dilectissimi in libro Psalmodum scribitur, quòd magnus ille Propheta Dauid dicebat; Meditatus sum nocte cum corde meo : & exercitabar & scopebam spiritum meum. Deuoto igitur religioso qui desiderat spiritum ad imaginem & similitudinè Dei factum, de Hierusalem in Hierico, id est, à statu tranquillitatis & pacis ad tantam status mutabilitatem lapsum reformare, & pristino statui restituere, necessarium est vt præfati præclarissimi Prophetæ exemplum accipiens spiritualibus exercitijs spiritum suum castiget, mundet, & purget, tam à vitijs & peccatis, quàm à corruptis affectionibus: vt gratiarum & spiritualium donorum valeat esse capax. Nam scriptum est, quod in animam maleuolam non introibit sapientia : neque habitabit in corpore subdito peccatis. Et quia, vt ait Augustinus, ordo est causa pacis & tranquillitatis animæ : & ea quæ non sunt ordinata non possunt permanere, & semper sunt inquieta : & quæ ordinata sunt permanent & quiescunt, & præstant animæ magnam fortitudinem : fit enim hostibus terribilis vt castrorum acies ordinata : ideo operæ precium est dare aliquè modum, & aliqua assignare determinata exercitia: vt scientes quæ nobis agenda sunt, semper firmus pacifici, & in eis nosmetipsos exercentes, spiritum nostrum ad suam pristinam reformemus amissam dignitatem.

b 5

De